



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Prorogatio termini solutionis, parag. 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

Prorogatio termini solutionis.

Quis possit fidejuberere.

1. **I**nquires Secundo. Si Creditor prorogat Debitori terminum solutionis, remanet ne Fideijussor liber à sua fideijussione?

Respondeo, cum necessaria distinctione. Si enim Fideijussor se obligavit ad annum v. g. liber remanebit, quia obligatio non se extendit ultra partium conventionem. Nota, sicuti, qui fideijussit pro capitali, non intelligitur fideijussisse pro interesse, ita qui pro uno tempore, non intelligitur pro alio. At vero, si Fideijussor se obligavit absolute nullum determinando tempus, non remanebit a liber, quia indefinita fuit obligatio. Addit Mantica, b tempus in dubio censeri appositum ad limitandam obligationem ex l. Item queritur §. Qui impleto ff. locati, & conducti.

a Azor. 3. p. l. 11. ca. 22. du. 12. Silv. V. Fideijussor qu. 14. b Mant. de tacitis, & ambiguis obligationibus.

§. IV.

Fretium ex Fideijussione.

1. **I**nquires Tertio. An ex obligatione, quam subit Fideijussor, possit accipere pretium, seu mercedem à Debitore, in cuius favorem fidejuberet?

Respondeo. Si adsit periculum solvendi fidejussorem, certum est, posse proportionatum quid accipere, quia sic fidejuberere, est pretio æstimabile, ut ex se patet: & quamvis deinde Fideijussor nihil damni senserit potest tamen illud accipere, quia non accipit pro damno, sed pro periculo.

2. Quid autem, si nullum profus est periculum, nulla molestia, nulla incommoditas, ut si Fideijussori certum sit, nullum ipsi ex fidejussione damnum eventurum, poterit ne aliquid accipere?

c Azor lo. ci. dub. 5. Bonac. l. c. n. 12. alios offerens.

Respondere, adhuc e posse aliquid portionatum experti viri arbitrio mensurandum. Ratio est, quia adhuc illam obligationem, quamvis sine incommodo suscipere, est pretio æstimabile, illamque gratis assumere nemo tenetur.

1. **I**nquires Quarto, Quinam possunt fidejuberere?

Respondeo, qui bona habent, vel eorum liberam administrationem. Hinc Pauperes, Pupilli, filii familias non habentes peculium Castrense, vel quasi Castrense, Religiosi à fidejuberendi munere repelluntur.

2. Repelluntur etiam Clerici à fidejuberendo pro Laicis, licet teneat fidejussio, si fidejubeant. Cap. ultimo de fidejussionibus. Immo usu jam receptum videtur, d saltem raro d Loff. 11. posse eos fidejuberere etiam Laicis, modo id faciant de suo patrimonio, vel fructibus sui beneficium sine damno Ecclesie, & sine periculo, p. 2. ut depauperentur.

3. Repellitur item mulier, quæ invalide fidejuberet pro viro: valide tamen pro filiis, sed cum quibusdam solemnitatibus, id est cum instrumento publico, adhibitis testibus tribus cum subscriptione. Verum ipsa eadem potest eam fidejussionem rescindere (si voluerit uti privilegio Senatus Consulto Vellejani, sed autè sententiæ executionem) & tunc ipsa ad nihil obligabitur etiam in conscientia.

4. Exciipiuntur autem aliqui casus, in quibus mulier fidejuberens uti hoc Vellejano privilegio non valet. Primo, si pretio conducta fidejussit. Secundo, si huic privilegio renuntiavit coram Magistratu, vel cum juramento, nam cum hoc privilegium in ipsius favorem peculiarem concessum sit, renuntiare illi poterit. Tertio, si fidejussit pro dote, vel pro suo Creditore, vel pro libertate servi. Quarto, si fidejussit in fraudem. Quinto, si post annum à fidejussione pignus dedit, aut obligationem iterum suscepit. Quæ omnia pluribus tractata videti possunt apud Doctores. f

E Mol. 20. bellius Loff. Gomez. Bonac. l. p. 2. G. Senc. l. 4. matr. d. 1. n. 15.

